

sub tributo posuerunt Pisani.

Anno ~~1166~~ Pisani cum XI. galéis in portu de Turri erant, & quidam male consulti ierunt ad villas de Turri, easque turpiter devastabant, & prædabantur, Consulibus Pisani invititis: propter quod Sardi in villa de Octavo interfecerunt LXXX. Pisanos.

Eodem Anno post mortem prædictorum Pisanorum Parafion Judex Turritanus, & Petrus ejus frater ~~Gallura~~ Judex de Mallari venerunt Pisas, & ipse Judex in Parlamento, quod factum fuit in dicta Civitate in Burgo Sancti Michaelis juravit quod in prædictorum Pisanorum morte culpam non habuit. Verumtamen, quia in suo Judicatu perierant, ipse fidelitatem Pisani Communis juravit, & promisit pro Pisanis Terram tenere, & sex milia librarum dare, & pro censu libras centum, & paria Falconum XII. annuatim Pisanis; & sic Pisani eum reduxerunt in Turrim.

Eodem Anno in Calendis Junii Pisani vicerunt Lucanos ad Montem Pisanum, & fugaverunt eos usque ad Massam. Item eodem Anno mense Julii Pisani septem galéas ad capiendos Januenses in Siciliam miserunt, & sex alias in Provinciam, quæ plures Januenses & Ligna ceperunt; & galéas Pisani, quæ in Siciliam ierant, XI. Calendas Augusti reversæ sunt. Propter quod Januenses galéas XIV. armaverunt, & insequuti sunt nostras usque ad Montem Pessulanum, & Marfiliam, & Rhodanum; & sic ceperunt quinque naves Pisanorum, scilicet vacuas; & Januam redierunt. Postea tertio Idus Augusti Pisani videntes, quod Januenses ivissent in Provinciam, viriliter armaverunt XXXI. galéas, & combusserunt Capo Corso. Et XII. Cal. Septembris Albingam pugnando ceperunt, & inde profecti ceperunt cum hominibus & haberé XXXVIII. naves Januensium venientes de Mercato de Frigoli; & per totam Riperiam Januæ plurima Ligna ceperunt. Ad Gradus quoque Merguri quinque magnas, quamvis vacuas, naves combusserunt, & unam bene caricatam de Garbo ceperunt. Revertentes itaque Pisani, domum, per fauces Capræ intraverunt, & incolumes usque ad Albanum Sancti Egidii die Calendis Septembris intraverunt, in quo est, & tunc erat magna Fiera, & innumera gentes convenerant. Januenses verò vehementer turbati, eo quod Pisani Albingam devicerant, repente LX. galéas armaverunt, & in Provinciam navigantes per Rhodanum, ad Ripam Sancti Egidii se posuerunt prope Pisanorum exercitum per miliaria duo, tertio Nonas Septembris; & sic uterque galéarum stolidus se per decem dies præparavit ad bellum. Civitas quippe Pisana de suis quid esset ignorans, & videns quod Januenses in Provinciam tam magnum stolum miserant, XXV. galéas ad devastandam Riperiam Januensium miserunt, & devastaverunt Portum Veneris, & Levantem; & sic Pisas reversæ sunt. Post hæc tres galéas cum Guidone Belli Consule, & cum multis militibus in Provinciam miserunt Pisani in

A auxilium Pisanorum, quas ventus contrarius projecit in Ylbam. Et die Sancti Michaelis ibi unam navem Januensium ceperunt de Alexandria venientem onustam; & Pisani Tertio Nonas Octobris redierunt. Supradicti verò Pisani Idus Septembris, qui erant galéas XXXI. cum Januensibus, qui erant cum quinquaginta galéis juxta Rhodanum, in terra magnum bellum fecerunt; & gratia Dei Pisani vicerunt illos, ubi multi Januenses capti & occisi sunt, & eorum castra destructa, & X. Calendas Novembris devicti Januenses Januam reversi sunt, quamvis tres galéas de Janua cum Consule eis obviam irent, easque ad expectandos Pisanos in Arli cum magno furore per quindecim dies tenuerunt frustra. Prædictæ verò Pisanorum victrices galéas redire volentes, super Insulas Sancti Honorati, furore & ira maximi venti & terribilis, nocte Calendas Novembris in altum pelagus abstractæ sunt; & tota nocte ipsa, & die sequenti tanta fuit maris tempestas, & venti contrarii, ut ex XXXII galéis XI. submersæ sint, & quibusdam ex aliis in Corsicam, quibusdam in Sardiniam, quibusdam in Bugeam distractis rapido cursu à mari. Una de Porta Aurea Cigeum applicuit, cujus homines ceperunt Piratæ, & Bugeam duxerunt, & omnes, præter quatuor parvulos, & XX. alios, truncati fuerunt. Aliæ verò XIX. evadentes de tanto Dei iudicio, de aliis nescientes quid esset, infra XI. dies Novembris Pisas cum triumpho de Inimicis habito redierunt.

Eodem Anno Coctus (4) supradictus Consul ivit pridie Nonas Maji ad Miramolinum Mumini pro faciendo cum eo pacem, & pro inveniendis & recuperandis Pisanis in prædictis galéis periclitatis, qui pacem honorabilem pro Comuni Pisano fecit; sed prædictarum galéarum nullos invenit homines, nisi XXIV. quos recuperavit, & secum reduxit; evaserunt enim, ut diximus, de manu gladii Saracenorum, quando alii truncati fuerunt. Et sic III. Idus Novembris Pisani reversi sunt. Tantus quidem luctus virorum & mulierum de Pisanis perditis in prædictis galéis XII. fuit, ut omnes Cives à minimo ad majorem in propriis plangerent domibus. Consules verò alio die ad domos singulorum mortuorum tantam laudem pro honore Pisanæ Reipublicæ contulerunt, quantam nunquam vix aliquis audierat; & sic iusserunt, quod plañctus remaneret.

Alio quidem Anno, scilicet 1167. Pisani XLVII. galéas armaverunt. Eodem tempore Januenses, credentes Pisanos non posse secum certare in mari propter superscriptas galéas XII. redeuntis de Provincia perditas iudicio Dei, unam magnam navem in Arboream miserunt, in qua debebant portare merces, pro satisfaciendo sibi de eo, quod Judex Arboreæ (quem ob id tenebant in vinculis) Januensibus debebat. Ad quam capiendam subito Pisani quinque galéas miserunt, eamque capientes, quando cum ipsa redibant, aliam navem Januensium de Garbo redeuntem ad Capalpi ceperunt.

fit, & alia ad honorem Pisanorum pertinentia per totam suam terram largitus est. Prædictarum verò 12. galéarum homines nullos invenit præter 24. quos recuperavit, & secum reduxit, qui 3. Id. Novemb. Pisas reversi sunt. Tantus luctus virorum, & mulierum de hominibus in dictis 12. galéis peremtis eo die publicus fuit, ut omnes Cives à minimo, usque ad majorem in propria plangerent domo.

Hæc in editione Ughelliana ita describuntur.

(4) Anno Domini MCLXVI. Conectus Consul Legatus 2. Non. Maji ivit cum una galéa Morelli ad Floriam Munini pro facienda pace cum eo, & inveniendis & recuperandis hominibus prædictarum duodecim galéarum deperditarum, & pacem toto tempore vitæ suæ cum eo firmavit, & dona magna ei dedit. Et fundacum in Cubilia Pisis habere concessit.

LXXXVI
index c.M. / Mallari

des.c.

pariter c.M.

duodecim

Kalendasc

c.averi c.M.

d. Redamin c.M.

quinquaginta

e. solis c.M.

f. verum c.M.

9. tut c.M.

a. devico c.M.

b. v. chorie c.M.

quarto

higerim

mamoli c.M.

lento

Pisanis

lalias

MCLXVII

deest c.

L'in mari

Campaldi